



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

XVII. Gebehardus I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

ter eius Gezman successit. Sedit Gozmannus menses duos & paulò plus, ut inquit Gúdackarus. Vitæ finem imposuit XVII. die Octobris. Latinis est *vir Dei*; Græcis, Theander; de quo Anonymus isthæc. *Licet breui tempore præfuerit, non tamē nihil memorabile in diebus suis egit, adiuncto namq; Brunone VVirzeburgensi Episcopo sanctæ VValpurgæ Monasterium, in festo S. Burckhardi, ut & ipsum hic celebrem faceret, dedicauit, & deinde post tres dies defunctus, à præfato VVirzeburgensi Episcopo iuxta fratrem suum honorificè sepultus est.*

XVII. Gebhardus.

Et post hunc Gebhard, Romam, qui deinde regebat. Sedit in Episcopatu annos XIII. In summo Pontificatu annos duos cum tribus mensibus, Victorisq; II. nomen accepit. Vitam cum morte commutauit anno Virginei partus M. LVII. XXVIII. die Iulij, natus Comes de Tollnstein & Hirsperg, ut est in Gundackaro. Bruschius ait fuisse Comitem de Calouia, seu Kalavv, hodie Kalb, quod est oppidum cum veteri arce horum Comitum sede in Ducatu Wirtenbergensi ad Nagoldum fluuium, teste Bruschio in prima Monasteriorum Germanicorum Centuria, ubi agit de Alba Augia Norici, Monasterio Benedictino, quod ab hoc Gebhardo conditum fertur. Interfuit Gebhardus Comitibus Norimbergensibus, & aliis Ratisbonensibus, ubi Leone IX. Pontifice præsentē & præsidente, disceptatum est de corpore S. Dionysij Areopagite, ubi nam requiescat; num Parisiis, an Ratisbonæ? Videndus Auentinus lib. 5.

De eius electione, & ad cathedram S. Petri electione hæc Leo Ostiensis lib. 2. Chronici Cassinensis cap.

cap. 90. Defuncto sanctæ memoria Leone Papa, Hildebrandus tunc Ecclesia Romana Subdiaconus, à Romanis ad Imperatorem mittitur: ut, quoniam in Ecclesia Romana persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat, de partibus illis, quem ipse tamen vice Cleri, populiq; Romani Pontificem elegisset, adduceret. Quod cum Imperator annuisset, Gebhardum Aistettensem Episcopum, cuius supra meminimus, de Romanorum consilio postulavit. Tristis ad hæc Imperator (nimis enim illi charus erat) cum illum omnibus modis sibi necessarium diceret, & alios plerosq; huic officio magis idoneos proponeret: Hildebrandus in sententia perstitit. Erat enim idem Episcopus, non modò prudentissimus, verùm in toto regno ditior, atque potentior omnibus. Hunc itaque inuitum licet, ac nolente Rege (propter quod postmodum monachos non amasse dictus est) Romam secum adduxit.

Addit Hermannus electionem Victoris factam in Concilio Moguntino, idque Imperatoris iussu, qui tum erat Henricus hoc nomine secundus, cognomēto Niger. Conuentus ab Imperatore et Moguntia factus est, inquit Hermannus, in quo Gebhardus Aistettensis Episcopus ab Episcopis electus Romam missus est: ubi inauguratus & coronatus est in ipsa cœna Domini, teste Hermannus, anno M. LV. Venisse Romam cum Pontifice Imperatorem scribit Leo Ostiensis. At Hermannus Pontificem præmissum, & Imperatorem subsequutum esse docet his verbis: Imperator Natalem Domini Goslayia celebravit, ac deinde expeditionem in Italiam paravit, ac diem sancti Pascha Mantua egit: diem autem Pentecostes Florentia, ibique coram eo à Domino Papa generali Synodo habita, multa correcta sunt.

Inter hæc autem ad Ecclesiæ correctionem spectantia, fuit procul dubio damnatio Berengarij Hæ-

retici, de quo Landfrancus in libro de corpore & sanguine Domini. *Qua sententia Leonis Papa non effugit successorem quoque suum felix memoria Papam Victorem. Sed quidquid de hac re seu de ceteris ipse statuit, statuiue praecepit, hoc etiam iste sua, atque omnium Conciliorum suorum auctoritate firmavit.*

Huc refer constitutionem de bonis & beneficiis Ecclesiasticis per Episcopos non abalienandis, de qua sanctione exstat proluxa epistola Petri Damiani apud Baronium anno Christi M. LV.

Idem Victor Hildebrandum, tunc Subdiaconum, postea Pontificem Maximum, Gregorij VII. nomine nobilitatum, legatum à latere in Gallias ablegauit, tum ad extirpandum Simoniacam hæresin, tum ad alios abusus abolendos. Hildebrandus munere suo strenuè functus synodum collegit, in qua memorabilis illa historia accidit, quam multi veterum referunt: inter quos Desiderius Abbas Cassinensis in Dialogis apud Baronium, ubi ipse Hildebrandus hunc in modum loquens introducitur. *Cum essem Subdiaconus, & à beata memoria Victore huius Apostolicae sedis Pontifice, in Galliam pro Ecclesiasticis negotiis discutiendis essem transmissus: cura mihi fuit Episcoporum conuocare Concilium, ut illis corampositis de Ecclesiasticis negotiis tractarem. In eadem verò ciuitate, in qua Synodus agebatur, Episcopus erat, qui pretio honorem comparasse Episcopatus, à multis infamabatur. Igitur vocatus Episcopus venit in mediū: Cum ergo eum exhortari salutaribus monitis cœpissimus, ut qua sibi opponebantur, conscientiam fatente, humiliter confiteretur: illatum quia eiusdem ciuitatis erat Episcopus, tum quia fretus auxilio Comitum terra ipsius, plenus superbia, omnino verba nostra vilipendebat. Sed cum à nobis, & à ceteris, qui aderant*
Episco-

Episcopis sub iustitiæ regula se (quod non sperauerat) constrin-
gi conspiceret, nec effugiendi habere licentiam: negare perti-
naciter cœpit, quod ante vix audire dignabatur. Cumq; ver-
ba producerentur in longum, & maximum diei spatium esset
consumptum, & ille nihilominus in sua pertinacia negando
persisteret: hoc modo eum cum cæteris, qui aderant, religiosi
Episcopis adiurare visum fuit, & totum iudicium in ostensio-
ne Spiritus sancti committere. In nomine, inquam, Patris, &
Filij, & Spiritus sancti, cuius donum gratia te comparasse au-
diuimus, ut huius rei nobis veritatem edisseras, adiuramus.
Quod si amplius, ut cœpisti negare tentaueris; Spiritum san-
ctum, donec qua vera sunt, confitearis, nominare non valeas.
Qui Episcopus cum abundè eloquens esset, & à nobis orare-
tur, ut Spiritum sanctum nominaret: Patrem quidem & Fi-
lium satis disertè nominabat, Spiritum verò sanctum, mirum
in modum nominare nullo modo poterat. Tunc omnibus, qui
aderant, luce clarius patuit, quod honorem Episcopatus, dato
pretio, emerat, qui non nisi Spiritus sancti gratia largiente
tribuitur. Tunc virtute Spiritus sancti tremefactus Episco-
pus, humiliter coram omnibus confiteri coactus est, quod ante
inflatu superbia, Dei timore postposito procaciter negare
presumpserat.

Collegit idem Hildebrandus Synodum Turonis
contra Berégarium in hæresim abiuratum relapsum;
qui argumentis conuictus iterum palinodiam ceci-
nit; in quem ista Landfrancus. In Concilio Turonensi, cui
ipsius Victoris interfuere legati, data est tibi optio, defenden-
di partem tuam. Quam cum defendendam suscipere non au-
deres: confessus coram omnibus communem Ecclesiæ fidem,
iurasti te ab illa hora ita crediturum, sicut in Romano Conci-
lio te iurasse, est superius deprehensum.

Miraculum porro, quo à præsentissimo exitio Vi-
ctor

Etor Papa ereptus est, commemorat Lambertus his verbis. Huic (Victori Pontifici) Subdiaconus toxicum in calicem misit. Quem cum ipse post consecrationem leuare vellet, nec posset: à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prostermitur; statimq; toxicator à damone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Dominus Papa calicem cum sanguine Dominico, cuidam altari iussit includi, & pro reliquiis in perpetuum conseruari. Deinde iterum cum populo tamdiu ad orationem prostermitur, quo vsque Subdiaconus à demonio liberaretur.

Sequenti anno, nimirum M. L. V. I. Victor Pontifex in Germaniam abiit, inuitatu Imperatoris, cui aduentus tanti viri opportunus accidit; nam in eius manibus spiritum Deo reddidit: de quo Hermannus. Henricus Imperator Domino Apostolico ad se tempore autumnali inuitato, cum in Saxonia in Bothfeldino commoraretur, morbo ingrauescente infirmatus est, obiit anno aetatis suae XXXIX. Regni vero XVII. Imperij X. Indictione decima.

Fufius Marianus Scotus. Iisdem temporibus multarum diuersarum prouinciarum Principes perierunt: fames multas prouincias afflixit: egestas & penuria undiq; praeualuit: multa mala tunc temporis facta sunt. Henricus Imperator his doloribus corde tenus compunctus, infirmari cepit, & perductus vsque ad mortem, sapienti tamen vsus consilio, ab omnibus quibus potuit, veniam petens, quibusdam praedia quae abstulit, restituit: cunctis, qui contra eum culpas damnabiles fecerunt, relaxans. Filium suum Henricum Romani Pontificis tunc praesentis, caterorumque Pontificum & Principum electione Regem constituit. His & aliis, prout vitae possibilitas admisit, bene dispositis, tertio Non. Octobr. vitam praesentem finiuit, sepultusq; est Spira Papa praesente.

Ex Germania Romam reuenit Victor Papa initio Quadragesimæ. Anno M. LVII. vbi Trasimundum Comitem Theatinum piorum communionem submouit cum ob alia scelera, tum ob Legatos Constantinopoli redeuntes ab eodem Comite spoliatos. Abbatem quoque Cassinensem in ordinem redegit: & tandem XXIIIX. Iulij defunctus est Florentiæ, ibidemq; sepultus, vt Leo Ostiensis testatur. De quibus omnibus consule Baronium. Non resignauerat Victor Pontifex factus Episcopatum Eystettensem; Itaque nullus in eius locum vsque ad obitum suffectus fuit. Lambertus in Chronico anno M. LVII. *Eystettensem Episcopatum Gunzo obtinuit, quo se Gebhardus factus Papa non abdicauerat. Est autem Lamberto Gundecarus Gunzo, qui Gebhardum seu Victorem in Episcopali munere excepit.*

Nunc audiamus Anonymum Hasenrietanum, satis copiosè de Gebhardo scribentem, tametsi aliqua non consonent his, quæ hactenus dicta sunt, præsertim quod attinet ad locum mortis & sepulturæ. *Secutus est (Gotsmannum) Gebhardus Episcopus, qui utinam aut nunquam Prasul fieret, aut factus tam citò subtractus non esset. Tolerabilius enim esset tale bonum omninò nescisse, quam cognitum tam citò amisisse. Hic patre Hartuigo, matre verò Bilixa natus, Sueuia oriundus extitit, & etiam regalem, vt ipse Henricus Imperator fatebatur, pro sapiam ex parte attingit. Quam tamen arrogantiam, vt erat facetissimus, suauiter ille declinabat, dicens, se quidem claris satis ortum parentibus, sed nequaquam ad hanc dignitatem pertinentibus.*

Hic verò hac occasione, imò, vt verius dicam, diuina hac ordinatione factus est Episcopus. Postquam Episcopatus noster ad petitionem memorati Brunonis Episcopi duobus in si-

mal VVirzeburgensibus datus est fratribus: Gebehardus Ratisponēsis Episcopus, Regis patruus, postulare cœpit, vt sua cognationis gratia Chunoni Archipræposito suo daretur. Cuius petitioni benignus Augustus in tantum acquieuit, vt idē Præpositus de Episcopatu tam certus esse vellet, vt etiam quorundam clericorum seruitium quasi iam debitum non recusaret. Comperto autem Imperator, quod Presbyteri filius esset, cum penitus sibi Episcopatū dare nolisset, patruus eius in tantum cœpit indignari, vt diceret non propter prædictam excusationem, sed magis propter sui despectionem hoc sibi denegari. Quam patruī suspicionem cum Caesar excludere vellet, vt sciatis, inquit, me nihil erga vos, nisi quod bonum est, moliri, offerte mihi quemcūq; idoneum ex vestratibus, hoc tantum excepto, & voluntatem vestram libenter adimplebo. Ad hac ille cum debitas egisset gratias, habeo, inquit, hic mecum inuiorem quendam cognatum meum, cui si præfatum Episcopatum dederitis, deuotissimum me semper in omnibus habebitis. Tum ille, facite, inquit, illum ad nos venire. Quem adductum Caesar intuitus, valde, inquit, minor est, & ad hanc dignitatem vix idoneus satis. Deinde consultis super hac re assidentibus Episcopis, & diuersis diuersa respondentibus, S. Bardo Moguntinus Archiepiscopus, subtus cucullam suam, vt solebat, collectus & tacitus, cum & ipse ad respondendum rogaretur, postquam sepius eum intuitus est, demisso vultu tandem ad Imperatorem ait: Domine benè potestis hanc sibi dare potestatem, quia aliquando dabitis sibi maiorem. Quod Rex admodum miratus, quid, inquit, pater dixisti, de futura datione maioris potestatis? At ille subridens, * & tam inquit in dicendo; Veruntamen vt dixi, benè potestis hunc sibi Episcopatum largiri. Quo Rex audito, securus iam tanti viri testimonio, annulum sibi mox dedit cum baculo. Quod cum Pater eius N. audisset, magno, vt decuit, gaudio repletus, sciscitatur statim,

* locus corruptus.

statim, quis esset huius Episcopi Patronus, Cui cū S. Villibal-
 dus nominaretur, Papè, inquit, somnium meum me fefellit.
 Olim quippe somniabat, quod iste filius suus S. Petri pastor esse
 deberet. Sed nondum venit hora eius.

Posthac sublimatus Pontificali infula Dominus noster
 Gebhardus, licet iunior esset aetate, nihil tamen puerile ges-
 sit in opere, sed ita de virtute in virtutem certatim ascendit,
 ut inter omnes Regni Principes paucis inferior, multis verò
 esset superior. Denique inter ceteras virtutes, specialem hanc
 habuit, quod in exercendis tam diuinis, quàm humanis iudi-
 ciis, talis scientia, tantæque velocitatis extitit, ut iam nemi-
 nem mortalium hac in re superiorem habuerit, paucis itaque
 annis interpositis, adoptatus à Cesare est in administratio-
 nem publici regiminis. In quo actu tam multiplici laude re-
 splenduit, ut quod rarissimum est, inuidiam virtute supera-
 uerit. Vnde factum est ut exulante ad Vngariam Chunone
 duce, ipse ducatum Baioaricum ad tempus susceperet regen-
 dum. Quibus diebus, inter alia gloriôsè gesta, Schirenses la-
 trociniis, ut hodieq; sunt, deditissimos, in tantum deuastauit,
 combussit ac contriuit, ut huius afflictionis tam perpes me-
 moria, quàm querimonia penes eosdem sit.

Eo tempore cum secundus à Rege esset, Rexque cum solo
 Regni solio praeccederet, Caesar ipse alique multi veraciter cre-
 didere, prophetiam illam S. Bardonis de maiore potestate iam
 iam impletam esse. Sed neque adhuc venit hora, qua imple-
 da erat hæc sententia. Illis diebus S. Papa Leo Romanam re-
 xit Ecclesiam, qui iam secūndus Imperatoria electione Aposto-
 lica sedi præfuit. Siquidem primus Suidegerus Babenbergens-
 is Episcopus extitit. Qui venerabilis Pater, ut præmissimus
 in libello Agnetis Imperatricis, propter hanc necessitatem ad
 Apostolica sedis assumptus est gubernationem. Cùm antiqua
 Romanorum auaritia inter alia, etiam Apostolicam sedem

Vide Baron. To-
mo XI. anno M.
XLVII. & seqq.

venalem faceret, & modò hunc, modò illum, nunc alium super alium constitueret; gloriosus Imperator indignitatem rei non ferens, cum magno exercitu Romam venit, & habita generali Synodo duos simoniacos vno die abiecit, & tertium Catholicum Apostolica sedi imposuit, prædictum scilicet Suuiggerum Babenbergensem Episcopum, Clementem in Papatu vocatum. Qui eisdem Babenbergensibus hoc privilegium dedit, ut in summis festiuitatibus, tum ministri altaris, tum etiam ceteri seniores mitras habeant in capitibus.

Hoc Papa feliciter defuncto, & Babenberga in choro S. Petri, singulari fratrum deuotione, sepulto, successit beatus hic de quo diximus Leo. Qui tam immensa clementia fuit, ut capitalium criminum reis non nisi tres sextas ferias pro pœnitentia iniungeret, & cetera misericorditer indulgeret. Quod cum familiares eius notarent, & simpliciores quosq; ad audendum perpetrandumque facinus impunitate incitari dicerent; clementissimus Papa suauiter respondit, & tam vera, quam simplici sententia murmurantes compescuit. Ait enim, non displiceat vobis fratres, si ego peccator peccatoribus condescendo, imò displiceat potius, quod peccantes grauius equidem, quàm ille, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius, punio. Nusquam enim reperietis in toto Euangelio, quod Dominus noster IESVS aliquem ieiuniis vel verberibus afflixerit. Sed pœnitenti, vade ait, in pace, & amplius noli peccare.

Hic contra Nortmannos pro pace Ecclesiastica bellum suscepit, & maximum sue partis detrimentum incurrit. Vnde insolabiliter cõtristatus cottidie missam cantauit pro interfectorum animabus. Quod cum diu fecisset, tandem Angelus Domini per visionem sibi astitit, & cur cottidianas pro defunctis missas ageret interrogauit. Cui cum ille respondisset, quod iure hoc pro interfectis suis faceret; Angelus ad hoc.

Noli,

Noli, inquit, pro defunctis cantare, potius, sancti tui Domine; quia pretiosa est in conspectu Domini mors Sanctorum, in illo praelio peremptorum. Quam missam postea cantauit pro illis ad vita sua usque terminum.

Appropinquante autem tempore vocationis eius, vidit in visione iuuenem quendam Papalibus vestibus indutum accedere ad se; tres calices in manibus portare. Cuius somnij interpretationem mox expergefactus sic exposuit suis familiaribus, iuniorem quendam post se Papam futurum, & non nisi tres annos victurum, &c.

Leone ergo Papa non simpliciter defuncto, sed verè in numero Sanctorum computato, Primates Romanorum Mogontiam veniunt, Papam sibi ab Imperatore deposcunt, & post longam deliberationem, nullum nisi nostrum Episcopum Gebhardum accipere voluerunt. Qui totis viribus renisus, quanto plus oblatam dignitatē recusauit, tanto Romanorum desiderium ad obtinendum eum prouocauit. Deniq; postquam legatos suos, clam, ut putatur, Romam misit, qui eum ex industria flagitijs plurimis infamarent, & abominabilem Romanis quoquo modo facerent; sed frustra: postquam etiam per doctiores quosque, in quibus & noster Magister, sibi fauentia quaque Canonum collegit capitula: Sed & hoc frustra, non est enim, ut scriptura dicit, sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Tandem Ratispona collectis vniuersis Regni primatibus, omni tergiuersatione deposita, cum etiam controuersiam breui quidem, sed notabili consummauit sententia. En, inquit, ad Casarem, S. Petro totum me, hoc est, corpore & anima contrado. & licet tanta sanctitatis sede me indignissimum sciam, vestris tamen iussionibus obtempero, ea scilicet pactione, ut & vos S. Petro reddatis, qua sui iuris sunt. Hac sponsione à benignissimo Imperatore suscepta, Romam hilariter venit, singulari deuotione susceptus est in con-

secratione Victor appellatus est, tribus annis Apostolicam sedem gloriosissime rexerit, tantæque inter ceteras virtutes, liberalitatis extitit, ut Romani non solum viuenti, verum etiam mortuo singularia laudum praemia attribuerent, & memoria eius celebris habeatur. Interim non immemor pacti sui, tum consentiente, tum etiam inuito Imperatore, multos sancto Petro Episcopatus, multa etiam castella iniuste ablata, iniuste recepit, Romanamque Ecclesiam multis honoribus amplauit, ditauit, sublimauit, & si diutius viuere licuisset, fortasse tale aliquod verbum incepisset, quod ambæ aliquorum aures tinnirent.

Post hac ab eodem Imperatore plurimis & accuratissimis legationibus euocatus, Goslarium venit, & inaudita quidem susceptionis gloria honoratus esset, nisi Deus, quam nulla hac sibi forent, ardentem ostenderet. In ipso susceptionis articulo, dum Regius apparatus cum exquisitissimis ornatus obuiam venienti procederet, tantus tamque subitaneus imber ingruit, ut totus ille tanta ambitionis ornatus, usquequaque dissipatus sit. Veruntamen ubi fugiendo potius, quam procedendo in monasterium ventum est, magnifice susceptus est, ut Papam quidem decuit, non tamen ut Imperator voluit. Alias verò quam incomparabili apparatu tractatus sit, sicut supra modum fuit ipsa in re, ita longum est referre, hoc tantum veritate ipsa non inidente licet dicere, nihil tam magnificum fuisse, quo deuotionis suae multitudinem pro desiderio suo posset ostendere.

Paucis itaque interpositis diebus autumnali venatione, gratissimo utique sibi occupatus studio, in nemore Hart nuncupato, ultimam valetudinem incidit, & medicis desperantibus, ingravescente infirmitate III. Non. Octobris rebus terrenis exemptus, ad interminabilia caelestis Regni gaudia, ut verè credimus, est translatus. Et quid ni credamus? Cum in-

Mors Imperatoris
Henrici III.
Reg. Imper. II.

ter innumera virtutis & pietatis opera adprimè Catholicus fuerit, & in extremis suis ipsum Apostolicum sibi utique benignissimum, totq; venerabiles Episcopos, aliosq; Sacerdotes presentes habuerit. Quibus & confessionem fecit, & à quibus indulgentiam accepit, quosq; deuotissimos pro se intercessores habuit. Quem verò ex aqua duntaxat & Spiritu sancto renatum, & in fide Catholica defunctum non saluarent tot, tantaq; orationes, & eleemosyna, qua diem sepulturae eius praefuisse feruntur. Deportatus itaq; à Saxonia vsque ad Rhenum Spira in Monasterio S. Mariae, iuxta patrem suum & matrem sepultus est XXIII. obitus sui die, quinto Kal. Nouemb. quo & natus est die, disponente hoc & egregio Papa, & Agnete Imperatrice, dudum Augusta, nunc vidua, ut quo die exiuit de utero carnalis matris, eodem reconderetur in gremium terrae communis, scilicet mortaliū omnium matris.

His ita transactis, dispositisq; laudabiliter regni negotiis, Romam heu nunquam reuersurus rediit, & apud Arretium Tusciae ciuitatem. V. Kalend. August. immatura morte vitam finivit presentem, & ad gloriam prouectus est indeficientem.

Huius venerabile corpus, cum nostrates ad Eystettensem toparchiam perducere vellent, in via per dolum à Rauennatibus inhumanissime spoliati sunt, & sepulto tam glorioso Papa foras muros Rauennatis urbis, in basilica S. Mariae, ad similitudinem Romanae Pantheon formatae, piissimo desolati Domino, summa onerati tristitia repatriare contēdunt. Quibus ex meridiana parte descendentibus, eadem hora septentrionalem partem, aperte Gundehariam designatus Episcopus descendit; & illis pro amisso lugentibus Domino, iste pro adepto letatus est Episcopo, &c.

